AUGUSTINUS
12. Jh. Seite 104r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift



factum esse commemorat. intelligat qui hoc dicit. multa
pretermissa esse que in medio gesta sunt. cum pilatus ageret.
querens quomodo eum a iudeis eriperet. & aduersus eorum in
sanissimam uoluntatem. quibuscumque modis potuit instantis
sime niteretur. Matheus enim ait. Dicit illis pilatus. Quid
igitur faciam de ihesu qui dicitur xpc. Dicunt omnes. Crucifigatur.
Tunc fuisse dicimus horam terciam. Quod autem matheus
sequitur & narrat. uidens autem pilatus. quia nichil proficeret.
sed magis tumultus fieret. & in conatibus pilati ad eripiendum
dominum & in tumultu iudeorum contra nitentium consumptum
tempus duarum horarum intelligimus. & ceptam fuisse sextam.
qua non dum terminata. gesta sunt que ab eo tempore
quo pilatus dominum tradidit usque ad tenebras factas narrantur.
Quod autem matheus supra commemorat. sedente autem illo
pro tribunali misit ad illum uxor eius dicens. nichil tibi & iusto
illi. multa enim passa sum per uisum hodie propter eum. postea
sederat pro tribunali pilatus. sed inter illa que prius gesta
narrabat recordatus matheus quod de pilati uxore dicitur.
uoluit hoc ibi interponere. ut prestrueret qua maxime
causa pilatus nec nouissime uolebat eum tradere iudeis.
Lucas autem narrat cum dixisset pilatus emendatum ergo illum
dimittam. exclamasse uniuersam turbam. tolle hunc.
& dimitte nobis barraban. Sed fortasse non dum dixerat
crucifige. Iterum autem pilatus secundum eundem lucam locutus
est ad illos. uolens dimittere ihesum. At illi succlamabant
dicentes. Crucifige. crucifige eum. Tunc intelligitur
fuisse hora tercia. Quod ergo sequitur lucas & dicit. ille autem
tercio dixit ad illos. quid enim mali fecit. iste. nullam causam
mortis inuenio in eo. corripiam ergo illum & dimittam.